

ac similiter cum certum est, quamvis filius sit, eum tamen heredem non fore: veluti si Titio herede instituto, posthumus, aut impubes exheredatam negetur filius. Nec ad rem pertinet quod interest illius in quibusdam filium esse: veluti propter fratris⁴⁰ ex alia matre nati bona, vel jura libertorum et sepulchrorum: istos enim casus ad Carbonianum constat non pertinere.

12. Idem, lib. 14 Questionum.

Scriptus heres, contra quem filius impubes, qui subjectus dicitur, ex edicto primo bonorum possessionem petit, exemplo legitimi, secundum tabulas interim accipere non potest: quod si medio⁴¹ tempore scriptus, vel ille, qui intestati possessionem habere potuerit, moriantur: hereditas eorum succurrendam erit. Quid enim si non potuerunt adire hereditatem jure cessante, vel ob litem in dubio constituti?

15. PAULUS, lib. 41 Responsorum.

Titia post mortem mariti sui posthumam enixa est: eidem Titiae crimen adulterii⁴² Sempronius apud praesidem provinciae objecit. Quæro, an in tempus pubertatis questio adulterii differri debeat, ne prejudicium posthumæ fiat? Paulus respondit, si ei pupillæ, de qua quæritur, bonorum paternorum questio non moveatur: sine causa tutores desiderare, adulterii quoque questionem in tempus pubertatis pupillæ differri.

14. SCAEVOLA, [lib. 2 Responsorum].

Quæritur, an impubes qui bonorum possessionem ex Carboniano accipit, si, antequam possessio ad eum translata fuerit, pubes factus sit, petitoris⁴³ partibus fungi debeat? Respondit, in eo, quod a possessore petet, probationem ei incumbere.

15. HERMOGENIANUS, lib. 3 juris Epitomarum.

Hæc bonorum possessio, si satis datum⁴⁴ sit, non tantum ad possessionem adipiscendam, sed⁴⁵ ad res etiam persequendas, et debitum exigendum, et collationem bonorum, et dotis, et omnium, quæ conferri diximus, prodest.

16. PAULUS, lib. 40[1], ad Edictum.

Sed sicuti de bonis paternis emancipato cavetur, ita de istis, quæ ipse confert, cavendum est.

TIT. XI.

DE BONORUM POSSESSIONIBUS SECUNDUM TABULAS.

1. ULPIANUS, lib. 39, ad Edictum.

Tabulas testamenti accipere debemus omnem² materiae figuram; sive igitur tabulae sint lignæ, sive cujuscunque alterius materiae; sive chartæ, sive membranae sint; vel si e corio alicujus animalis: tabulae recte dicuntur. — § 1. Non autem omnes tabulas prætor sequitur hac parte edicti, sed *supremas*³: hoc est, eas, quæ novissimæ ita factæ sunt, post quas⁴ nullæ factæ sunt: supremæ enim hæc sunt, non quæ sub ipso mortis tempore factæ sunt, sed post quas nullæ factæ sunt, licet hæc veteres sint. — § 2. Sufficit autem extare tabulas, etsi non proferantur, si certum sit eas extare; igitur etsi apud furem sint, vel apud eum, apud quem depositæ sunt, dubitari non oportet, admitti posse bonorum possessionem: nec enim opus est aperire eas, ut bonorum possessio secundum tabulas agnoscat. — § 3. Semel autem extitisse tabulas mortuo testatore desideratur, tametsi extare desiderint: quare, et si postea intercederunt, bonorum possessio peti poterit. — § 4. Scientiam⁵ tamen exigemus, ut sciat heres extare tabulas, certusque sit delatam sibi bonorum possessionem. — § 5. Si quis in duobus⁶ exemplaribus fecerit testamentum, et aliud extet, aliud non extet: tabulae extare videntur, petique potest bonorum possessio. — § 6. Sed etsi in duobus⁷ codicibus simul signatis alios atque alios heredes scripserit, et utrumque extet: ex utroque quasi ex uno competi bonorum possessio: quia pro unis tabulis habendum est, et supremum utrumque accipiemus.

§ 7. Sed si unum fecerit testator quasi testamentum, aliud quasi exemplum: si quidem exstat, quod voluit esse testamentum, bonorum

40. L. 6, § 1, supr. eod. — 41. L. 6, in fin. supr. de bon. posses. contra tab. — 42. Adde L. 8, supr. de reite in poss. mit. — 43. L. 6, in fin. supr. h. t. — 44. L. 8, in fin. supr., L. ult. infr. eod. L. 3, § 1, supr. de collation. — 45. Idem vide L. 3, § 13, supr. h. t. Tit. XI. — 1. Lib. 6, C. 11. — 2. L. 4, infr. h. t.: L. 35, in fin. C. de testam.; § 12, Inst. de testam. ordin. — 3. L. 4, in fin. supr. de adim. vel. transfer. legat.; L. 1, supr. de injust. rupt. irrit. factis testam.; L. 21, § 3, C. de testam.; § 1, Inst. quib. mod. testam. in iur. — 4. L. 39, infr. de verb. sign.; adde L. 163, infr. d. t. — 5. L. 22, L. 33, in pr. supr. de ad. qui vel omittit heredi.; L. 1, § 1, supr. de jur. et facti ignorant. — 6. L. 24, supr. qui testam. facere; § 13, Inst. de testam. ordin.; L. ult. supr. de his, quæ in testam. delentur; L. 47, supr. de legat. 2. — 7. d. L. 24, L. 3, § 1, infr. de tab. exhib. d. § 15, d. L. ult. — 8. L.

possessio petetur: si vero id quod exemplum erat, bonorum possessio peti non poterit: ut Pomponius scripsit. — § 8. Exigit prætor, ut is, cujus bonorum possessio datur, utroque⁸ tempore jus testamenti faciendi habuerit, et cum facit testamentum, et cum moritur. Proinde si impubes⁹, vel furiosus¹⁰, vel quis alius ex his qui testamentum facere non possunt, testamentum fecerit, deinde habens testamenti factionem decesserit: peti bonorum possessio non poterit. Sed et si filiusfamilias putans se patremfamilias, testamentum fecerit, deinde mortis tempore paterfamilias¹¹ inveniatur: non potest bonorum possessio [secundum] peti. Sed si filiusfamilias veteranus de castrensi faciat, deinde emancipatus, vel alias paterfamilias factus, decedat: potest ejus bonorum possessio peti. Sed si [quis] utroque tempore testamenti factionem habuerit, medio tempore non habuerit: bonorum possessio secundum tabulas peti poterit. — § 9. Si quis autem testamentum fecerit, deinde¹² amiserit testamenti factionem, vel furore, vel quod ei bonis interdictum est: potest ejus peti bonorum possessio: quia jure testamentum ejus valet; et hoc generaliter de omnibus hujusmodi dicitur, qui amittant mortis tempore testamenti factionem; sed ante factum eorum testamentum valet. — § 10. Si linum, quo ligatæ sunt tabulae, incisum¹³ sit: si quidem alius contra voluntatem testatoris incidit, bonorum possessio peti potest: quod si ipse testator id fecerit, non videtur signata; et ideo bonorum possessio peti non potest. — § 11. Si rosa sint a muribus tabulae, vel linum¹⁴ aliter ruptum, vel vetustate putrefactum, vel situ, vel casu: et sic videtur tabulae signatae; maxime si proponas, vel unum linum tenere, si ter forte vel quater linum esset circumductum, dicendum est, signatas tabulas ejus extare, quamvis vel incisa, vel rosa sit pars uni.

2. Idem, lib. 41, ad Edictum.

Aequissimum ordinem prætor secutus est. Voluit enim primo ad liberos bonorum possessionem contra tabulas pertinere; mox, si inde [non] sit occupata, iudicium defuncti sequendum. Expectandi igitur liberi erunt, quamdiu bonorum possessionem petere possunt: quod si tempus fuerit finitum, aut ante decesserint¹⁵, vel repudiaverint¹⁶, vel jus petendæ bonorum possessionis amiserint: tunc revertetur bonorum possessio ad scriptos¹⁷. — § 1. Si sub conditione¹⁸ heres institutus¹⁹ filius sit, Julianus peræque putavit, secundum tabulas competere ei, quasi scripto, bonorum possessionem, qualis qualis conditio sit, etiam si hæc, *Si navis ex Asia venerit*; et quamvis defecerit conditio, prætor²⁰, tamen filium, qui admisit secundum tabulas, tueri debet, ac si contra tabulas acceperit: quæ tuitio ei, qui emancipatus est, necessaria est. — § 2. Pro qua quisque parte heres scriptus est, pro ea accipiet bonorum possessionem: sic tamen, ut, si non sit qui ei concurrat, habeat solus²¹ [bonorum] possessionem; quamdiu tamen ex heredibus unus deliberat, utrum admittat bonorum possessionem, an non: portio bonorum possessionis ejus coheredi non defertur. — § 3. Si primus quidem ita substitutus sit, si²² intra decem; secundus, si post decem intra quatuordecim annos: si quidem intra decem decesserit, primus solus heres erit, et accipiet bonorum possessionem: si vero post decem intra quatuordecim, secundus solus heres erit, et accipiet bonorum possessionem: nec sibi junguntur, cum ad suam quisque causam substitutus sit. — § 4. Defertur bonorum possessio secundum tabulas primo gradu scriptis heredibus: mox, illis non petentibus, sequentibus non solum substitutis, verum substitutis quoque substitutis: et per seriem substitutos admittimus. Primo gradu autem scriptos accipere debemus omnes, qui primo loco scripti sunt: nam sicuti ad adeundam hereditatem proximi sunt, ita et ad bonorum possessionem admittendam. — § 5. Si quis ita scripserit, *Primus ex parte heres esto; si primus heres non erit, secundus heres esto: tertius ex alia parte dimidia heres esto; si non erit, quartus heres esto*: primus et tertius priores ad bonorum possessionem invitantur. — § 6. Si quis ita instituerit heredes: *Uter²³ ex fratribus meis Sciam uxorem duxerit, ex dodrante mihi heres esto: uter non duxerit, ex quadrante heres esto*: si quidem mortua fuerit Scia, æquas partes habituros heredes constat: quod si ab altero uxor ducta fuerit, dodrantem et quadrantem eis competere, bonorum autem possessionem, antequam existat conditio, neutrum petere. — § 7. Si consulto²⁴ sit inductum nomen heredis, indubitanter probatur, bonorum possessionem petere eum non

19, supr. qui testam. facere. — 9. d. L. 19. — 10. L. 16, § 1, supr. d. t. — 11. d. L. 19, Inst. quib. non est permis. facere testam. in fin. pr. — 12. L. 18, in pr. supr. qui testam. facere. — 13. L. 1, § 8, infr. unde liberi. — 14. L. pen. C. de testam. — 15. L. 1, § 8, infr. de success. edict. — 16. L. 4, in pr. infr. quis ordo in posses. — 17. § 4, infr. h. t. — 18. L. 23, supr. de hered. instit. — 19. L. 5, infr. h. t. — 20. L. 3, § 13, supr. de bon. posses. contra tab. — 21. L. 28, in fin. supr. de liber. et posth.; L. 41, in fin. supr. de vulg. et pupill. substit.; L. 145, infr. de verb. sign.; § 5, Inst. de hered. instit. — 22. L. 45, § 1, supr. de vulg. et pupill. substit. — 23. L. 25, supr. de condit. instit. — 24. L. 8, § 5, infr. h. t.; L. 1, l. 2, supr. de his, quæ in testam. delentur.

posse: quemadmodum non potest qui heres scriptus est, non consulto testatore: nam pro non scripto est, quem scribi noluit. — § 8. Si duo sint heredes instituti, Primus et Secundus, Secundo Tertius substitutus: omittit Secundo bonorum possessionem, Tertius succedit; quod si Tertius noluerit hereditatem adire, vel bonorum possessionem accipere: reidit bonorum possessio ad Primum; nec erit [ei] necesse petere bonorum possessionem, sed ipso jure ei adcreset: heredi enim scripto, sicut portio hereditatis, ita et bonorum possessio adcrecit. — § 9. Si servus heres scriptus sit, ei domino defertur bonorum possessio, ad quem hereditas pertinebit: ambulat enim cum domino bonorum possessio; quare si mortis tempore Stichus heres institutus fuit servus Sempronii, nec Sempronius eum jussit adire, sed vel decessit, vel etiam eum alienavit et cepit esse Septicii: event, ut si Septicius eum jusserit, Septicio defertur bonorum possessio: ad hunc enim hereditas pertinet; unde si per multos dominos transierit servus, tres vel plures: novissimo²⁵ dabimus bonorum possessionem.

3. PAULUS, [lib. 41, ad Edictum].

Verum est, omnem posthumum, qui moriente testatore in utero fuerit, si natus sit, bonorum possessionem petere posse.

4. ULPIANUS, [lib. 42, ad Edictum].

Chartæ²⁶ appellatio et ad novam chartam refertur, et ad deleticiam; proinde et si in epistographo quis testatus sit: hinc peti potest bonorum possessio.

5. Idem, [lib. 4 Disputationum].

Si sub conditione²⁷ heres quis institutus sit, et accepta bonorum possessione secundum tabulas, conditio defecerit: interdum evenit, ut res possessori concedenda sit; ut puta si filius sit emancipatus sub conditione heres institutus; nam si defecerit conditio, attamen secundum tabulas bonorum possessionem eum accipere Julianus scribit; sed et si is fuerit, qui ab intestato bonorum possessor futurus esset: tuendum esse scripsit; et hoc jure utimur. — § 1. Videndum, an legata ab eis debeantur? et filius quidem, quasi contra tabulas bonorum possessione accepta, rem habere videtur: ceteri vero quasi ab intestato; et ideo filius liberis parentibusque legata relicta solis prestare cogetur, ceteris non: Plane ei, cui ab intestato fideicommissum relictum est, erit præstandum: quasi videatur hoc ipso fraudatus, quod ex testamento petita sit bonorum possessio.

6. Idem, [lib. 8 Disputationum].

Hi demum sub conditione heredes instituti bonorum possessionem secundum tabulas, etiam pendente conditione, necdum impleta, petere possunt, qui²⁸ utiliter sunt instituti: quod si inutiliter quis sit institutus, nec ad bonorum possessionem inutiliter institutio proficit.

7. JULIANUS, [lib. 23 Digestorum].

Cum tabulae testamenti plurium signis signatae essent, et quædam ex his non parent, septem²⁹ tamen signa maneat: sufficit ad bonorum possessionem dandam, septem testium signa comparere: licet non omnium, qui signaverint, maneat signa.

8. Idem, [lib. 24 Digestorum].

Si ita scriptum sit: *Sempronius ex parte dimidia heres esto: Titius, si navis ex Asia venerit, ex parte tertia heres esto: idem Titius, si navis ex Asia venerit, ex parte sexta heres esto*: Titius non ex duabus partibus heres scriptus, sed ipse sibi substitutus intelligi debet: ideoque non ex majore parte, quam tertia scriptus videtur, secundum hanc rationem, cum sextans³⁰ vacuum relinquatur, bonorum possessionem Titius accipiet non solum tertiae partis, sed ejus quoque quæ ex sextante eidem adcrecit. — § 1. Qui filio impuberi substituitur ita, *Si filius meus moriatur, priusquam in [suam] tutelam veniat, tunc Titius mihi heres esto*: sicut hereditatem vindicat, perinde ac si verbum hoc *mihi* adjectum non esset, ita bonorum quoque ejus possessionem accipere potest. — § 2. Sed et cum in³¹ prænomine, cognomine, erratum est, id ad quem hereditas pertinet, etiam bonorum possessionem accipit. — § 3. Is autem, cujus nomen in testamento voluntate³² testatoris perductum est, sicut ad adeundam hereditatem, ita ad petendam bonorum possessionem scriptus non intelligitur, quamvis ejus nomen legatur. — § 4. Quidam testamentum in tabulis sibi fecit, filio autem impuberi³³ per nuncupationem substituit. Respondi sententiam prætoris in danda bonorum possessione eam esse, ut separatim patris, separatim filii heredes æstimari debeant;

25. § 1, vers. alienus Inst. de hered. instit. — 26. L. 1, in pr. supr. h. t. — 27. L. 2, § 1, supr. eod. — 28. L. 22, in fin. supr. de acquir. vel. omitt. hered. — 29. L. ult. C. h. t. — 30. L. 15, § 2, supr.; § 7, Inst. de hered. instit. — 31. L. 4, C. de testam.: L. 7, § 1, C. de legat. Inst. de legat. — 32. L. 2, § 7, supr. h. t. — 33. L. 20, in fin. supr. de vulg. et pupill. substit.

nam quemadmodum scripto filii heredi separatim ab heredibus patris, ita nuncupato potest videri separatim a scriptis patris heredibus bonorum possessio dari.

9. POMPONIUS, [lib. 2, ad Sabinum].

Ut bonorum possessio secundum pupillares tabulas admitti possit, requiritur, an³⁴ patris testamentum signatum sit, licet secundæ tabulae resignatae proferantur.

10. PAULUS, [lib. 8, ad Plautium].

Si servus sub conditione heres institutus sit, an bonorum possessionem accipere potest, dabitur: et Scævola noster probat, posse³⁵.

11. PAPIANUS, [lib. 43 Questionum].

Qui ex liberis meis impubes supremus³⁶ morietur, ei Titius heres esto: duobus peregre defunctis, si substitutus ignoret, uter novissimus decesserit, admittenda est Juliani sententia, qui propter incertum conditionis, etiam prioris, posse peti possessionem bonorum, respondit. — § 1. Filius heres institutus, post mortem³⁷ patris ab hostibus rediit: bonorum possessionem accipiet, et anni tempus, a quo rediit, ei computabitur. — § 2. Testamento facto, Titius adrogandum se prebuit, ac postea sui juris effectus, vita decessit: scriptus heres, si possessionem petat, exceptione doli mali summovebitur³⁸: quia dando se [in] adrogandum testator *cum capite fortunæ quoque suas in familiam et domum alienam transferat*. Plane si sui juris effectus, codicillis, aut aliis literis *eodem testamento se mori velle declaraverit*: voluntas, quæ defecerat, iudicio recenti redisse intellegitur: non secus, ac si quis alius testamentum fecisset, ac supremas tabulas incidisset, ut priores supremas relinqueret: nec putaverit quisquam, nuda voluntate constitutum testamentum: non enim de jure testamenti maxime quæritur, sed viribus exceptionis, quæ in hoc iudicio quamquam actori opponatur, ex persona tamen ejus, qui opponit, æstimatur.

12. PAULUS, [lib. 7 Questionum].

Ut scriptus heres agnoscere possit bonorum possessionem, exigendum puto, ut et demonstratus sit propria demonstratione, et portio adscripta ei inveniri possit: licet sine parte institutus sit; nam qui³⁹ sine parte heres institutus est, vacantem portionem, vel alium⁴⁰ assem occupat. Quod si ita heres scriptus sit, ut interdum excludatur [a] testamento, eo⁴¹ quod non invenitur portio, ex qua institutus est: nec bonorum possessionem petere potest; id evenit, si quis ita heredem instituit: *Titius quanta ex parte priore testamento eum heredem scriptum habeo, heres esto*: vel, *quanta ex parte codicillis scriptum eum habeo, heres esto*: si scriptus non invenitur. Quod si ita scripsero: *Titius, si eum priore testamento ex semisse scriptum heredem habeo, vel, si eum codicillis ex semisse heredem scripsero, ex semisse heres esto*: tunc accipiet bonorum possessionem, quasi sub conditione heres scriptus.

TIT. XII.

SI A PARENTE QUIS MANUMISSUS SIT.

1. ULPIANUS, [lib. 45, ad Edictum].

Emancipatus a parente in ea causa est, ut in contra tabulas bonorum possessione liberti patriatur exitum; quod æquissimum prætori visum est, qua a parente beneficium habuit bonorum quærendorum: quippe, si filiusfamilias esset, quodcumque sibi acquireret, ejus emolumentum patri quæreret; et ideo itum est in hoc, ut parens exemplo patroni ad contra tabulas bonorum possessionem admittatur. — § 1. Enumerantur igitur edicto personæ manumissorum sic: *In eo, qui a patre avove paterno, proavove paterni avi patre*. — § 2. Nepos ab avo manumissus, dedit se adrogandum patri suo: sive manens in potestate patris decesserit, sive manumissus diem suum obeat, solus admittetur avus ad ejus successionem ex interpretatione edicti: quia perinde defert prætor bonorum possessionem, atque si ex servitute manumissus esset; porro si hoc esset, aut non esset adrogatus, quia adrogatio liberti admittenda non est: aut si obreperit, patroni tamen nihilominus jus integrum maneret. — § 3. Si parens vel accepit pecuniam, ut emanciparet, vel postea vivus in eum filius, quantum satis est, contulit, ne iudicia ejus inquietet: exceptione doli repellitur. — § 4. Est et alius casus, quo bonorum possessionem

— 34. d. L. 20, in pr. — 35. L. 7, in pr. supr. de bonor. posses. — 36. L. 31, in pr.; L. 43, supr. de vulg. et pupill. substit.; L. 9, in pr. supr. de reb. dub. — 37. L. 53, § 1, supr. de hered. instit. — 38. Fac. L. 1, § 8, supr. h. t. vide tamen § 9, d. L. 1. — 39. L. 17, in pr. supr. de hered. instit. — 40. L. 53, in fin. supr. d. t. — 41. d. L. 17, § 3, in fin.

contra tabulas parens non accipit: si forte filius militare¹ ceperit; nam divus Pius rescriptit, patrem ad contra tabulas bonorum possessionem venire non posse. — § 5. Liberos autem manumissoris non venire ad contra tabulas bonorum possessionem filii, constat: quamvis patroni veniant. — § 6. Patrem autem accepta contra tabulas bonorum possessione, et jus antiquum, quod et sine manumissione habebat, posse sibi defendere, Julianus scripsit: nec enim ei nocere debet, quod jura patronatus habebat, cum sit et pater.

2. GAIVS, lib. 18, ad Edictum provinciale.

Non usque adeo exequendus est patrono parens, ut etiam Faviana aut Calvisiana actio ei detur: quia iniquum est, ingenis hominibus non esse liberam rerum² suarum alienationem.

3. PAULVS, lib. 8, ad Plautium.

Pacianus ait, si turpes personas (veluti meretricem) a parente [emancipatus et] manumissus heredes fecisset, totorum bonorum contra tabulas possessio parenti datur, aut constituta partis, si non turpis heres esset institutus. — § 1. Si filius emancipatus testamento suo patrem suum praterierit, sive heredem instituerit: fideicommissa non cogitur pater prestare ex sua parte, que et debetur, etiam si adierit hereditatem. Sed et si filia vel neptis manumissa sit, et pater vel avus prateritus petat bonorum possessionem: eadem, que in filio dicenda sunt.

4. MARCELVS, lib. 9 Digestorum.

Patri, qui filium emancipavit, de his que libertatis causa imposita fuerint, prætor nihil edicit: et ideo frustra pater operas stipulabitur de filio³.

5. PAPINIANVS, lib. 11 Questionum.

Divus Trajanus filium, quem pater male contra pietatem adficiat, cogit emancipare; quo postea defuncto pater, ut manumissor, bonorum possessionem sibi competere dicebat: sed consilio Neratii Prisci et Aristonis ei propter necessitatem solvendæ pietatis denegata est.

TIT. XIII.

DE BONORUM POSSESSIONE EX TESTAMENTO MILITIS.

1. ULPIANVS, [lib. 48, ad Edictum].

Non dubium est, quin debeant rata voluntates esse eorum, qui in hosticolio⁴ suprema judicia sua quoquo⁵ modo ordinassent, ibidemque diem suum obissent; quamquam enim distat conditio militum ab his personis, quas constitutiones principales separant, tamen qui in procieta versantur, cum eadem pericula experiantur, jura quoque eadem merito sibi vindicant. Omnes igitur omnino, qui ejus sunt conditionis, ut jure militari testari non possint, si in hosticolio deprehendantur, et illic decedant, quomodo velint, et quomodo possint, testabuntur: sive præses quis sit provincie, sive legatus, sive quis alius, qui jure militari testari non potest. — § 1. Item navarchos et trierarchos classium, jure militari posse testari nulla dubitatio est. In classibus omnes remiges, [et] nautæ milites sunt. Item *vigiles*⁶ milites sunt, et jure militari eos testari posse nulla dubitatio est. — § 2. Si quis militum ex alio numero translatus sit in alium: quamvis et hinc sit exemptus, et illo nondum pervenerit, tamen poterit jure militari testari; est enim miles, quamvis in *numeris* non sit.

TIT. XIV.

DE JURE PATRONATUS.

1. ULPIANVS, lib. 9, de officio Proconsulis.

Patronorum querelas adversus libertos præses⁷ audire, et non translatie exequi debent: cum, si ingratus libertus sit, non impune ferre eum oporteat. Sed si quidem *inofficiosus* patrono, patronæ, liberis eorum sit: tantummodo castigari eum sub comminatione aliqua severitatis non defuturæ, si rursus causam querelæ præbuerit, et demitti

Tr. XII. — 4. L. 56, supr. de testam. milit.; L. 5, § 6, infr. de bon. libert. — 2. L. 70, supr. de rei vind.; L. 8, supr. de in lit. jurand.; L. 9, supr. de action. rer. amot.; L. ult. § 1, infr. de leg. Jul. de annois; L. 9, C. de Judicis; L. 21, C. mandati. — 3. L. pen. infr. de obsequ.

Tr. XIII. — 1. L. ult. supr. de testam. milit. — 2. Inst. in pr.; L. 1, in pr. supr. de testam. milit. — 3. L. 8, § 4, supr. de excusat.

Tr. XIV. — 1. Lib. 6, C. 4. — 2. L. 7, § 1, infr. h. t.; L. 1, § 2 et 10, supr. de offic. præfect. urbi; L. 10, L. 11, L. 12, supr. de offic. præsid. — 3. L. 18, infr. h. t.; L. 45, infr. de oper. libert. — 4. *Fide tamen* L. 28, infr. d. t. — 5. L. 8, C. de obseq. patron. præst. — 6. *Immo vide* L. 5, infr. de interdict. et relig. — 7. L. 1, in fin. supr. h. t. — 8. L. 6, in fin. supr. de agnos.

oportet. Enimvero si contumeliam fecit, aut convicium eis dixit, etiam in exilium temporale dari debet. Quod si manus intulit, in metallum dandus erit. Idem, et si calumniam aliquam eis instruxit, vel delatorem subornavit, vel quam causam adversus eos tentavit.

2. Idem, lib. 1 Opiniorum.

Liberti homines negotiatione⁸ licita prohiberi a patronis non debent⁴.

3. MARCIANVS, lib. 2 Institutionum.

Si quis tutor datus, cum sibi legata esset ancilla, et rogatus eam manumittere, manumiserit, adgnito legato, et tutela pupilli se excusaverit: divi Severus et Antoninus rescripserunt, hunc esse quidem patronum, sed omni commodo patronatus carere.

4. Idem, lib. 5 Institutionum.

Jura libertorum patronorum liberis⁵, cum pater eorum erat perduellionis damnatus, salva esse divi Severus et Antoninus benignissime rescripserunt: sicut ex alia causa⁶ punitorum liberis jura libertorum salva sunt.

5. Idem, lib. 13 Institutionum.

Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatore summis⁷, qui de statu ejus facerent ei questionem, servum⁸ patroni esse jussit eum libertum. — § 1. Imperatoris nostri rescripto cavetur, ut, si patronus libertum suum non aluerit⁹, jus patroni perdat.

6. PAULVS, lib. 2, ad legem Æliam Sentiam.

Adigere jurejurando, *ne nubat liberta*, vel *liberos tollat*, intelligitur etiam is, qui libertum jurare patitur. Sed si ignorante eo suus¹⁰ filius adegerit, stipulatus fuerit, nihil ei nocet; certe si jussu patroni is, qui in potestate est, idem fecerit: dicendum est, eum hac lege teneri. — § 1. Stipulatus est centum operas, aut in¹¹ singulas aureos quinos dari: non videtur contra legem stipulatus; quia in potestate¹² liberti est, operas dare. — § 2. Quamvis nulla persona lege excipiatur: tamen intelligendum est, de his legem sentire, qui liberos tollere possunt; itaque si castratum libertum jurejurando quis adegerit, dicendum est, non puniri patronum hac lege. — § 3. Si patronus libertam jurejurando adegerit, ut sibi nuberet: siquidem ducturus eam adegit, nihil contra legem fecisse videbitur: si vero non ducturus, propter hoc solum adegit, ne alii nuberet, fraudem legi factam Julianus ait; et perinde patronum teneri, ac si coegisset¹³ jurare libertam non nupturam. — § 4. Lege Julia de maritandis ordinibus permittitur jusjurandum, quod liberti in hoc impositum est, *ne uxorem duxerit*: libertæ, *ne nuberet*: si modo nuptias contrahere recte¹⁴ velit.

7. MODESTINVS, [lib. singul. de Manumissionibus].

Divus Vespasianus decrevit, ut si qua hac lege venerit, ne prostitute- retur, et si prostituta esset, ut esset libera; si postea ab emptore alii sine conditione veniit, ex lege venditionis liberam esse, et libertam prioris¹⁵ venditoris. — § 1. Mandatis imperatorum cavetur, ut etiam in provinciis præsidet¹⁶, de querelis patronorum jus dicentes, secundum delictum admissum libertis pœnas irrogent. Interdum illa pœnæ a liberti ingrato exiguntur, vel pars bonorum ejus aufertur, et patrono datur: vel fustibus cœditur, et ita absolvitur.

8. Idem, [lib. 6 Regularum].

Servum a filiofamilias¹⁷ milite manumissum, divus Hadrianus rescriptit, militem, libertum suum facere, non patris. — § 1. Servus non manumissus libertatem consequitur, is qui ea lege distractus¹⁸ est, ut manumittatur intra tempus; quod superveniens, licet non manumittatur, faciet tamen libertum emptoris.

9. Idem, [lib. 9 Regularum].

Filii hereditate paternâ se abinentes, jus, quod in libertis habent paternis, non amittunt. Idem et in emancipato. — § 1. Ut in bonis liberti locum quidam non haberent, lege excipiuntur, rei capitalis damnatus, si restitutus non est; si index cuius flagiti sit, fuerit: vel major annis viginti quinque cum esset, capitis¹⁹ accusaverit libertum paternum.

10. TERENTIUS CLEMENS, [lib. 9, ad legem Juliam et Papiam].

Eum patronum, qui capitis²⁰ libertum accusasset, excludi a bonorum vel aliend. liber. — 9. L. 33, infr. de bon. libert. — 10. L. ult. in pr. infr. qui et a quib. manumiss. — 11. d. L. ult. § ult. — 12. L. 10, in fin. supr. de jure dot. — 13. Arg. L. 62, § 1, supr. de condit. et demonstr. — 14. L. 5, § 3, infr. de suis. — 15. L. 10, § 4, supr. de in jus vocand.; L. 1, in fin. C. si mancip. ita venierit. — 16. L. 1, supr. h. t. — 17. L. 5, § 8, L. 12, infr. de bon. libert.; L. 3, § 3, infr. de adsign. libert.; L. 5, § 7, infr. de suis; L. 50, § 2, infr. qui et a quib. manumiss.; L. 6, in pr.; L. 15, in fin. infr. de castrensi pecul. — 18. L. 3, infr. qui et a quib. manumiss. — 19. L. 10, infr. h. t. — 20. L. 9, in fin. supr. eod.; L. 10, § 11 supr. de in jus vocand.; L. 3, § 9, L. 48, infr. de bon. libert.; L. 55, § 1, infr. de fideicom. liber.

21. L. 14, § 3, infr. de bon. libert. — 22. *Immo vide* d. L. 14, § 8. — 23. L. 17, infr. d. t. — 24. *Fide* L. 5, C. de testam. — 25. L. 2, C. qui manumitt. non possunt. — 26. L. 16, infr. de manumiss. — 27. *Adde* L. 48, § 1, supr. de ritu nupt. — 28. *Immo vide* L. 8, in fin. supr. de in jus vocand. — 29. L. 26, infr. de bon. libert.; § 5, Inst. de success. libert. — 30. L. ult. C. si in fraud. patroni. — 31. L. 16, § 4, infr. de bon. libert. — 32. L. 14, infr. d. t. — 33. *Fide tamen* L. 38, in pr. infr. d. t. — 34. L. 16, § 4, infr. d. t. — 35. L. 2, supr. h. t.; L. 48, infr. de oper. libert. — 36. L. 9, infr. de obsequ. — 37. L. 5, in fin. C. de oper. libert.; L. 4, in fin. C. de obseq. patron. — 37. L. 2, C. qui prætor tutor. — 38. L. 3, § 7, infr. de bon.

possessione contra tabulas, placuit. Labeo existimabat *capitis*²¹ actionem eam esse, cuius pœna mors aut exilium esset. Qui nomen detulit, accusasse intelligendus est²²: nisi abolitionem petid. Idque etiam Proculo placuisse Servilius refert.

11. ULPIANVS, [lib. 40, ad legem Juliam et Papiam].

Is autem nec ad legitimam hereditatem²³, quas ex lege duodecim tabularum deferretur, admittitur.

12. MODESTINVS, [lib. 4 Responsorum].

Gaius Seius decedens testamento ordinato, inter filios suos Julium libertum suum, quasi et ipsum filium, ex parte heredem nominavit. Quæro, an hujusmodi scriptura²⁴ possit liberti statum conditionis mutare? Modestinus respondit, statum mutare non posse.

13. Idem, [lib. 1 Pandectarum].

Filiusfamilias servum peculiarem²⁵ manumittere non potest: jussu²⁶ tamen patris manumittere potest: qui manumissus, libertus fit patris.

14. ULPIANVS, [lib. 5, ad legem Juliam et Papiam].

Si juravero *me patronum esse*, dicendum est, non esse me, quantum²⁷ ad successione, patronum; quia jusjurandum patronum non facit: aliter atque *si patronum esse* pronunciatum sit; tunc enim sententia stabitur.

15. PAULVS, [lib. 8, ad legem Juliam et Papiam].

Qui contra legem Æliam Sentiam ad jurandum libertum adegit, nihil juris habet nec ipse, nec liberi²⁸ ejus.

16. ULPIANVS, [lib. 40, ad legem Juliam et Papiam].

Si libertus minorem se centenari²⁹ in fraudem legis fecerit: ipso jure non valebit id, quod factum est; et ideo, quasi in centenarii liberti bonis locum habebit patronus: quidquid igitur quæqua ratione alienavit, ea alienatio nullius momenti est. Plane si quæ alienaverit in fraudem patroni, adhuc tamen post alienationem major centenari remaneat: alienatio quidem vires habebit, verumtamen per Favianam et Calvisianam³⁰ actionem revocabuntur ea, que per fraudem sunt alienata; et ita Julianus sæpissime scribit: eoque jure utimur. Diversitatis autem ea ratio est: quotiens in fraudem legis sit alienatio, non valet, quod actum est. In fraudem autem fit, cum quis se minorem centenari facit ad hoc, ut legis præceptum evertat: at cum alienatio facta nihilominus centenari³¹ est, non videtur in fraudem legis factum, sed tantum in fraudem patroni: ideoque Faviano vel Calvisiano judicio revocabitur id, quod alienatum est. — § 1. Si quis plures res simul alienando minorem se centenari fecerit, quarum una revocata, vel omnium partibus, major centenari efficitur: utrum revocatas omnes, an pro rata ex singulis, ut centenarium eum faciamus? Magisque est, ut omnium rerum alienatio facta nullius momenti sit. — § 2. Si quis plane non semel alienaverit, sed quædam res ante, quædam postea: alienatio earum rerum que postea alienatae sunt, ipso jure non revocabitur, sed priorum; in posterioribus Faviane locus erit.

17. Idem, lib. 2, ad legem Juliam et Papiam.

Divi fratres in hæc verba rescripserunt³²: *Comperimus a peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas aviti liberti bonorum possessionem petere possit, si eum libertum pater patris cum annorum viginti quinque esset, capitis accusasset*³³? Et Proculus sane non leviem juris auctorem in hac opinione fuisse, ut nepoti in hujusmodi causa non putaretur dandam bonorum possessionem; cuius sententiam nos quoque secuti sumus, cum rescriberemus ad libellum Cæsidie Longinæ: sed et Volusius Mæcianus, amicus noster, ut et juris civitatis præter veterem et senes fundatam peritiam anxie diligens, religione rescripti nostri ductus, sicut coram nobis adfirmavit, non arbitratur se aliter respondere debere; sed cum et ipso Mæciano, et aliis amicis nostris, juris peritis, adhibitis plenius tractaverimus: magis visum est, nepotem neque verbis, neque sententia legis, aut edicti prætoris, ex persona vel nota patris sui excludi³⁴ a bonis aviti liberti; plurium etiam juris auctorum; sed et Salvii Juliani amici nostri, clarissimi viri hanc sententiam fuisse. — § 1. Item quæsitum est, si patroni filius capitis accusaverit libertum, an hoc noceat liberis ipsius? Et Proculus quidem in hac fuit opinioe, notam adspersam patroni filio, liberis ejus

21. L. 14, § 3, infr. de bon. libert. — 22. *Immo vide* d. L. 14, § 8. — 23. L. 17, infr. d. t. — 24. *Fide* L. 5, C. de testam. — 25. L. 2, C. qui manumitt. non possunt. — 26. L. 16, infr. de manumiss. — 27. *Adde* L. 48, § 1, supr. de ritu nupt. — 28. *Immo vide* L. 8, in fin. supr. de in jus vocand. — 29. L. 26, infr. de bon. libert.; § 5, Inst. de success. libert. — 30. L. ult. C. si in fraud. patroni. — 31. L. 16, § 4, infr. de bon. libert. — 32. L. 14, infr. d. t. — 33. *Fide tamen* L. 38, in pr. infr. d. t. — 34. L. 16, § 4, infr. d. t. — 35. L. 2, supr. h. t.; L. 48, infr. de oper. libert. — 36. L. 9, infr. de obsequ. — 37. L. 5, in fin. C. de oper. libert.; L. 4, in fin. C. de obseq. patron. — 37. L. 2, C. qui prætor tutor. — 38. L. 3, § 7, infr. de bon.

nocere: Julianus autem negavit³⁴: sed hic idem, quod Julianus, erit dicendum.

18. SCEVOLA, lib. 4 Responsorum.

Quæro, an libertus prohiberi potest a patrono, in eadem colonia, in qua ipse negotiatur, idem genus negotii exercere: Scævola respondit, non posse prohiberi³⁵.

19. PAULVS, lib. 1 Sententiarum.

Ingratus libertus est, qui patrono obsequium³⁶ non præstat, vel res ejus, filiorumve³⁷ tutelam administrare detrectat.

20. Idem, lib. 3 Sententiarum.

Sicut, testamento facto, decedente liberto, potestas datur patrono, vel libertatis causa imposita petere, vel partis bonorum possessionem: ita et cum intestato decesserit, earum rerum electio ei manet.

21. HERMOGENIANVS, lib. 3 juris Epitomarum.

Sive patronus sive libertus deportetur, et post³⁸ restituitur, amissum patronatus et petendæ contra tabulas bonorum possessionis jus recipitur: quod jus servatur, et si in metallum patronus vel libertus damnatus restituitur. — § 1. Excluditur contra tabulas bonorum possessione patronus, et si ex uncia heres instituitur, et id quod deest ad supplendam debitam portionem, per servum, judicio liberti, sine conditione et dilacione, ei hereditate, vel legato, sive fideicommissio quæri potest. — § 2. Ex duobus patronis unus ex debita³⁹ parte heres institutus sine conditione et dilacione, contra tabulas bonorum possessionem petere non poterit: licet, si minor ei portio esset relicta, et contra tabulas bonorum possessionem petisset, alia etiam portio ei adrescere potuisset. — § 3. Naturales liberi liberti exhereditati facti, alio ex parte herede instituto, si per servum ex alia parte parenti successerint, obijciuntur patrono. — § 4. Liberti filius heres institutus, si bona repudiaverit⁴⁰, patronus non excluditur.

22. GAIVS, [lib. singul. de Casibus].

Satis constat [ut] etiam si⁴¹ in potestate sit parentis filius patronæ, nihilominus legitimo jure ad eum pertinere hereditatem.

23. TRYPHONIVS, [lib. 13 Disputationum].

Si filius patris necem inultam reliquerit, quam servus detexit⁴², et meruit libertatem: dixi, non habendum pro patroni filio, quia indignus est. — § 1. Cum ex falsis⁴³ codicillis, qui veri aliquo tempore crediti sunt, heres ignorans quasi ex fideicommissio libertatem servis præstitisset, rescriptum est a D. Hadriano, *liberos quidem eos esse, sed abstimationem sui præstare debere*; et hos libertos manumissoris esse recte probatur: quia salvum est etiam in his libertis jus patroni.

24. PAULVS, [Imperialium Sententiarum in cognitionibus prolatarum, sive Decretorum ex lib. 6 lib. 1].

Camelia Pia ab Hermogene appellaverat, quod⁴⁴ diceret judicem de dividenda hereditate, inter se et coheredem non tantum res sed etiam libertos divisisse: nullo enim jure id eum fecisse. Placuit, nullam esse libertorum divisionem: alimentorum autem divisionem a iudice inter coheredes factam, eodem modo ratam esse⁴⁵.

TIT. XV.

DE OBSEQUIIS PARENTIBUS ET PATRONIS PRÆSTANDIS.

1. ULPIANVS, lib. 1 Opiniorum.

Etiam *milibus* pietatis ratio in² parentes constare debet: quare, si filius miles in patrem aliqua commisit, pro modo delicti puniendus est. — § 1. Et inter *colliberios*, matrem et filium, pietatis ratio secundum naturam salva esse debet. — § 2. Si filius matrem aut patrem, quos venerari³ oportet, contumeliis adficiat, vel impias⁴ manus eis inferat: præfecerit urbi delictum ad publicam pietatem pertinens pro modo ejus vindicet. — § 3. Indignus militia judicandus est, qui patrem et matrem, [a] quibus se educatum dixerit, maleficos appellaverit.

2. JULIANVS, [lib. 14 Digestorum].

Honori parentum ac patronorum tribuendum est, ut quamvis per pro-

libert. — 39. d. L. 3, § 10. — 40. L. 6, § 2, infr. d. t. — 41. L. 59, infr. d. t. — 42. L. 4, in pr. infr. d. t. — 43. L. 47, infr. de manumiss. testam. — 44. L. 41, supr. famil. erisc. — 45. *Fide tamen* L. 27, supr. d. t.

Tr. XV. — 1. Lib. 6, C. 6. — 2. L. 9, L. 10, infr. h. t.; L. 3, L. 4, C. de patr. potest.; L. 6, supr. de in jus vocand.; L. 8, supr. de probat.; L. 35, supr. de ritu nupt.; L. 3, § 15, supr. de agnos. et alud. liber. — 3. N. 23, c. 21. — 4. N. 125, c. 2, § 1, 2, Feud. 14, § 2, vers. perro.

curatorem iudicium accipiant, nec actio de dolo aut iniuriarum⁵ in eos detur: licet enim verbis edicti non habeantur infamiae ita condemnati, re tamen ipsa et opinione hominum non effugiunt infamiae notam. — § 1. Interdictum⁶ quoque unde vi non est adversus eos reddendum.

5. MARCELLUS, lib. singul. Responsorum.

Titius puerum emit, quem post multos annos venire iussit: postea exoratus, accepto ab eo pretio, eum manumisit: quaero, an eum filius et heres manumissoris ut ingratus accusare possit? Respondit posse, si nihil aliud esset impedimento: nam plurimum⁷ interesse, a suo servo quis, vel etiam ab amico ejus, acceptis nummis dederit libertatem; an ab eo servo, qui, cum esset alienus, in fidem ejus devenit; etenim ille, etiam si non gratuitum, beneficium tamen praestitit: iste nihil amplius, quam operam suam accommodare videri potest.

4. MARCIANUS, lib. 2 publicorum Iudiciorum.

Per procuratorem⁸ ingratus libertum posse argui, divus Severus et Antoninus rescripserunt.

5. ULPIANUS, lib. 10, ad Edictum.

Patres, patronus, patrona, liberive⁹ aut parentes patroni, patronave, neque si ob negotium faciendum vel non faciendum pecuniam accepisse dicerentur, in factum actione¹⁰ tenentur. — § 1. Sed nec famosae actiones adversus eos dantur: nec haec quidem, quae doli¹¹ vel fraudis habent mentionem;

6. PAULUS, [lib. 11, ad Edictum].

Nec servi corrupti agetur;

7. ULPIANUS, lib. 10, ad Edictum.

Licet famosae non sint. — § 1. Et, in quantum¹² facere possunt, damnantur. — § 2. Nec exceptiones¹³ doli [patiuntur], vel vis¹⁴ metusve causa: vel interdictum¹⁵ unde vi, vel quod vi, patiuntur. — § 3. Nec¹⁶ deferentes iurandum de calumnia jurant. — § 4. Nec non et si ventris nomine in possessionem calumniae causa missa dicatur patrona, libertus hoc dicens non auditur: quia de calumnia patroni queri non debet; his enim personis etiam in caeteris partibus edicti honor habebitur. — § 5. Honor autem his personis habebitur ipsis: non¹⁷ etiam interventoribus eorum: et, si forte ipsi pro aliis interveniant, honor habebitur.

8. PAULUS, [lib. 10, ad Edictum].

Heres liberti¹⁸ omnia iura integra extranei hominis adversus patronum defuncti habet.

9. ULPIANUS, [lib. 66, ad Edictum].

Liberto et filio semper honesta et sancta persona patris ac patroni videri debet.

10. TRYPHONINUS, [lib. 17 Disputationum].

Nullum jus libertatis causa impositorum habet in emancipato filio: quia nihil imponi liberis solet; nec quisquam dixit, iurejurando obligari filium patri manumissori, ut libertum patrono: nam pietatem liberi parentibus non¹⁹ operas debent.

11. PAPINIUS, [lib. 13 Responsorum].

Liberta ingrata non est, quod²⁰ arte sua contra patronae voluntatem ulitur.

LIBER TRIGESIMUSOCTAVUS.

TIT. I.

DE OPERIS LIBERTORUM.

1. PAULUS, lib. singul. de variis Lectionibus.

Operae sunt diurnum officium.

5. L. 7, § 3, l. 11, § 7, infr. de iur. — 6. L. 7, § 2, infr. h. t. l. 1, § 45, infr. de vi et vi armat. — 7. L. 1, § 1, de bono lib. — 8. L. 35, § 1, infr. de procur. — 9. L. 5, § 20, infr. de agnos. et alibi lib. — 10. L. 11, in fin. supr. de dolo malo. — 11. d. l. 21, § 1; l. 10, § 22, supr. de in ius vocandis; l. 4, § 16, infr. de doli mali et met. except. — 12. L. 16, in fin.; l. 17, infr. de re iudic. — 13. L. 4, § 16, infr. de doli mali et met. except. — 14. d. l. 4, in fin. — 15. L. 2, in fin. supr. h. t.; l. 1, § 45, infr. de vi et vi armat. — 16. L. 16, supr. de iur. et ob. l. 34, § 4, supr. eod. — 17. L. 10, in fin. supr. de in ius vocand. — 18. L. 4, § 16, infr. de doli mali et met. except. — 19. L. 4, supr. si a parente quis

2. ULPIANUS, [lib. 38, ad Edictum].

Hoc edictum praetor² proponit coartandae persecutionis libertatis causa impositorum: animadvertit enim [rem istam], libertatis causa impositorum praestationem ultra excrevisse, ut premeret atque oneraret libertinas personas. — § 1. Initio igitur praetor pollicetur se iudicium operarum daturum in liberos et libertas.

3. POMPONIUS, lib. 4, ad Sabinum.

Operas stipulatus, ante peractum diem operam ejus diei petere non potest. — § 1. Nec pars³ operae per horas solvi potest: quia id est officii diurni; itaque nec ei liberto, qui sex⁴ horis duntaxat antemeridianis praesto fuisset, liberatio ejus diei contingit.

4. Idem, lib. 4, ad Sabinum.

A duobus manumissis, utrique operas promiserat: altero ex his mortuo, nihil est, quare non filio⁵ ejus, quamvis superstiti altero, operarum detur petitio; nec hoc quicquam commune habet cum hereditate, aut bonorum possessione; perinde enim operae a libertis ac pecunia credita petitur. Haec ita Aristoteles scripsit, cuius sententiam puto veram; nam etiam praeteritarum operarum actionem dari heredi extraneo sine metu exceptionis placet: dabitur igitur et vivo altero patrono.

5. ULPIANUS, lib. 15, ad Sabinum.

Si quis operas sit stipulatus sibi liberisque suis, etiam ad posthumos pervenit stipulatio.

6. Idem, lib. 26, ad Sabinum.

Fabriles operae, caeteraque, quae quasi⁶ in pecuniae praestatione consistunt, ad heredem transeunt: officiales vero non transeunt.

7. Idem, [lib. 28, ad Sabinum].

Ut iurisjurandi⁷ obligatio contrahatur, libertum⁸ esse oportet qui juret, et libertatis causa jurare. — § 1. Plane queritur, si quis libertus suo legaverit, si filio suo juraverit se decem operarum nomine praestaturum: an obligetur jurando? et Celsus Jubeat obligari eum ait, parvi que refert, quam ob causam de operis libertus juraverit: et ego Celso adhaerisco. — § 2. Jurare autem debet post manumissionem, ut obligetur: et, sive statim sive post tempus juraverit, obligatur. — § 3. Jurare autem debet, operas, donum, munus se praestaturum: operas qualescunque, quae modo probe iure licito imponuntur. — § 4. Rescriptum est a divo Hadriano, et deinceps, cessare operarum persecutionem adversus eum, qui ex⁹ causa fideicommissi ad libertatem perductus est. — § 5. Dabitur¹⁰ et in impuberem, cum adoleverit, operarum actio: sed interdum, et quando impubes est; nam hujus quoque est ministerium, si forte vel librarius, vel nomenclator, vel calculator sit, vel histrio, vel alterius voluptatis artifex. — § 6. Si liberi patroni ex inaequalibus partibus essent instituti, utrum pro parte dimidia, an pro hereditariis habeant operarum actionem? Et puto verius, liberos pro aequalibus habituros actionem. — § 7. Parvi autem refert, in potestate fuerint liberi, an vero emancipati. — § 8. Sed si in adoptionem datum, heredem scripserit patronus, magis est, ut operae ei debeantur. — § 9. Nec patronae liberi summoventur ab operarum petitione.

8. POMPONIUS, [lib. 8, ad Sabinum].

Si quando duobus patronis juraverit libertus operas se daturum, Laeoni placet, et deberi, et peti posse partem¹¹ operae: cum semper pariter¹² operas, quae jam dari non possit, petatur; quod contingit, si vel ipsi patronis juret¹³ vel promittatur, vel communi eorum servo: vel complures heredes uni patrono existant. — § 1. Pro libertis jurante fidei-jubere¹⁴ quemvis posse placet.

9. ULPIANUS, [lib. 34, ad Sabinum].

Operae in rerum natura non sunt. — § 1. Sed officiales quidem futurae nec cuiquam alii deberi possunt, quam patrono, cum proprietatis earum et in edentis persona, et in ejus, cui eduntur, constitit. Fabriles autem aliaeque ejus generis sunt, ut a quocunque cuicumque solvi possint. Sane enim, si in¹⁵ officio¹⁶ sint, jubente patrono et alii edi possunt.

10. POMPONIUS, [lib. 15, ad Sabinum].

Servus patroni a liberto male¹⁷ ita stipulatur, operas mihi dare spondes? Haec patrono dari stipulandum est. — § 1. Libertus operarum manum. — 20. L. 1, l. 18, supr. tit. prox.; l. 45, infr. tit. prox.

Tit. I. — 1. Lib. 6, C. 5. — 2. L. 1, § 1, infr. tit. prox. — 3. L. 15, § 1, infr. h. t. — 4. L. 2, in fin. supr. de man. legat. — 5. L. 22, § 1, infr. h. t. — 6. L. 4, vers. perinde supr. eod. — 7. L. 15, in pr. infr. de acceptil.; adde L. 56, in pr. infr. de fidei-jus. — 8. § 2, in fr. hie; l. ult. in fin. pr. infr. de liberat. caus. — 9. L. 29, infr. tit. prox. — 10. L. ult. in fr. hie; de liberat. caus. — 11. L. 4, supr. h. t. — 12. L. 15, § 2, infr. eod. — 13. L. 1, C. eod. — 14. L. 44, infr. eod. — 15. L. 26, § 2, in fin. supr. de conduct. iudic. — 16. L. 38, infr. de stipulat. servor.

nomine ita jurando, Patrono aut Lucio Titio, solvere Lucio Titio non potest, ut a patrono liberetur.

11. JULIANUS, [lib. 22 Digestorum].

Nihil autem interest¹⁷, extraneus sit Lucius Titius, an filius:

12. POMPONIUS, [lib. 15, ad Sabinum].

Quia aliae operae erunt, quae Lucio Titio dantur. Sed si libertatis causa pecuniam promittat libertus egenti patrono, aut Titio, omnimodo adjectio Titii valet.

13. ULPIANUS, [lib. 38, ad Edictum].

Si quis hac lege emptus sit, ut¹⁸ manumittatur, et ex constitutione divi Marci pervenerit ad libertatem, operae ei impositae nullum effectum¹⁹ habebunt. — § 1. Sed nec cui bona addicta sunt ex constitutione D. Marci libertatum conservandarum causa²⁰, poterit operas petere, neque ab his, qui directas, neque ab his, qui fideicommissarias acceperunt: quamvis fideicommissarias [libertates] qui acceperunt: ipsius liberti efficiantur; non enim sic fiunt liberti, ut sunt proprii, quos nulla necessitate cogente manumisimus. — § 2. Iudicium de operis tunc locum habet, cum operae praeterierint²¹: praeterite autem non possunt, antequam incipiant cadere: et incipiunt, posteaquam fuerint indictae. — § 3. Etiam si uxorem habeat libertus, non prohibetur patronus operas exigere. — § 4. Si impubes sit patronus, voluntate ejus non videtur liberta nupta: nisi tutoris auctoritas voluntati accesserit. — § 5. Rati quoque habitio patrono obest in nuptiis libertae.

14. TERENTIUS [CLEMENS, lib. 8, ad legem Juliam et Papiam].

Plane, cum desiderit nupta esse, operas peti posse, omnes [fere] consentiunt.

15. ULPIANUS, [lib. 38, ad Edictum].

Libertus, qui post indictionem operarum valetudine²² impeditur, quo minus praestet operas, non tenetur: nec enim potest videri per eum stare, quo minus operas praestet. — § 1. Neque promitti, neque solvi, nec deberi, nec peti²³ parte poterit opera. Ideo Papinianus subjicit: Si non una, sed plures operae sint, et plures heredes existant patrono, qui operas stipulatus est: verum est obligationem operarum numero²⁴ dividi. Denique Celsus lib. 42 scribit, si communis libertus patronis duobus operas mille daturum se juraverit, aut communi eorum servo promiserit: quingenas potius deberi, quam singularum operarum dimidias.

16. PAULUS, [lib. 40, ad Edictum].

Ejus artificii, quod post manumissionem didicerit libertus, operas debet praestare: si haec sint, quae quandoque honeste²⁵ et sine periculo vitae praestantur; nec semper haec, quae manumissionis tempore praestari debuissent; sed si turpes operas postea exercere coeperit, praestare debet eas, quas manumissionis tempore praestabat. — § 1. Tales²⁶ patrono operae dantur, quales ex aetate, dignitate, valetudine, necessitate, proposito, caeterisque ejus generis, in utraque persona aestimari debent.

17. Idem, [lib. singul. de Jure patronatus].

Nec audiendus est patronus, si poscit operas, quas vel aetas recusat, vel infirmitas corporis non patitur, vel quibus institutum vel propositum vitae minuitur.

18. Idem, [lib. 40, ad Edictum].

Suo victu²⁷ vestituque operas praestare debere libertum, Sabinus ad Edictum praetoris urbani lib. 8 scribit. Quod si alere se non possit, praestanda ei a patrono alimenta.

19. GAUUS, [lib. 14, ad Edictum provinciale].

Aut certe ita exigenda sunt ab eo operae, ut his quoque diebus, quibus operas edat, satis²⁸ tempus ad quaestum faciendum, unde alii possit, habeat:

20. PAULUS, [lib. 40, ad Edictum].

Quod nisi fiat, praetorem ipsam patrono denegaturum operarum praestationem: idque est verum, quia unusquisque, quod spondidit, suo impendio dare debet, quamdiu id, quod debet, in rerum natura est. — § 1. Ex provincia libertum Romam venire debere ad reddendas operas, Proculus ait: sed qui dies interea cesserint, dum Romam venit, patrono perire; dummodo patronus, tanquam vir bonus, et diligens paterfamilias Romae moraretur, vel in provinciam proficiscatur: caeterum si vagari per orbem

17. L. 56, § 2, infr. de verb. oblig. — 18. L. 1, C. h. t. — 19. Arg. L. 50, in fin. pr. infr. qui et a quibus manum. — 20. Inst. de eo, cui libert. caus. bona addicuntur: fac. L. ult. C. de testam. manumis. — 21. L. 5, in pr. l. 8, in pr. supr.; l. 24, infr. h. t. — 22. L. 25, § 1; l. 34, infr. eod.; l. 3, in pr. supr. de SC. Silian. — 23. L. 3, § 1, supr. h. t. — 24. L. 24, § 1, infr. de verb. oblig. — 25. L. 7, § 3, supr.; l. 38, in pr. infr. h. t. — 26. L. 46, in pr.; l. 36, l. 50, infr. eod. — 27. Immo vide L. 21, l. 33, l. pen. § 1, infr. eod. — 28. d. l. pen. § 1.

terrarum velit, non esse injungendam necessitatem liberti, ubique eum sequi.

21. JAVOLENUS, [lib. 6, ex Cassio].

Operae enim loco edi debent, ubi patronus moratur, sumptu scilicet, et vectura patroni²⁹.

22. GAUUS, [lib. 14, ad Edictum provinciale].

Cum patronus operas stipulatus sit, tunc scilicet committitur stipulatio, cum³⁰ poposcerit, nec libertus praestiterit; nec interest, adjecta sint haec verba, cum poposcerit, an non sint adjecta: aliud enim est de operis, aliud de caeteris rebus: cum enim operarum editio nihil aliud sit, quam officii praestatio, absurdum est credere, alio die deberi officium, quam quo is vellet, cui praestandum est. — § 1. Cum libertus promiserit patrono operas se daturum, neque adjecerit, liberisque ejus: constat, liberis³¹ ejus ita demum deberi, si patri heredes extiterint. Heredes tamen exitisse liberos parenti ita demum prodesse ad operarum petitionem, Juliano placet, si non³² per alium heredes extiterunt. Itaque si quis exheredato emancipato filio, servum ejus heredem instituerit, et per eum servum heres extiterit filius: repelli eum ab operarum petitione debere, perinde ac repelleretur patronus, qui operas non³³ imposuisset, vel quas imposuit, revendidisset. — § 2. In omnibus operis praecipue observandum est, ut temporis³⁴ spatia, quae ad curam corporis necessaria sunt, liberti relinquantur.

23. JULIANUS, lib. 22 Digestorum.

Haec operae, quas libertus promisit, multum distant a fabrilibus vel pictoris operis: denique si libertus faber aut pictor fuerit, quamdiu³⁵ id artificium exercebit, has operas patrono praestare cogitur: quare sicut fabriles operas quis potest sibi aut Titio stipulari, ita patronus a liberto operas sibi aut Sempronio recte stipulatur: et libertus obligatione solvetur, si tales operas extraneo dederit, quales patrono praestando liberaretur. — § 1. Si patroni plures consulto in diversas regiones discesserint, et libertus simul operas indixerit, potest dici diem operarum cadere, sed libertum non obligari: quia non per eum, sed per patronos staret, quo minus operae dentur. Sicut accidit, cum³⁶ aegrotanti liberti operae indiciuntur. Quod si diversarum civitatum patroni sint, et in sua quisque moretur: consentire debent in operis ab eo accipiendis: durum alioquin est, eum qui se liberare potest decem diebus operando, simul operis indictis, si in accipiendis non consentiant, compelli ad praestandam alteri quique operarum aestimationem.

24. Idem, [lib. 82 Digestorum].

Quotiens certa species operarum in stipulationem deducitur; veluti pictoriae, fabriles: peti quidem non possunt, nisi praeterita³⁷; quia etsi non verbis, at re ipsa inest obligationi tractus temporis: sicuti, cum³⁸ Ephesi dari stipulemur, dies continetur. Et ideo inutilis³⁹ est haec stipulatio, operas tuas pictorias centum hodie dare spondes? Cedunt tamen operae ex die interpositae stipulationis; sed operae, quas patronus a liberto postulat, confestim non cedunt: quia id agi inter eos videtur, ne⁴⁰ ante cederent, quam indictae fuissent: scilicet quia ex commodo patroni libertus operas edere debet: quod in fabro vel pictore dici non convenit.

25. Idem, [lib. 68 Digestorum].

Patronus, qui operas liberti sui locat, non statim intellegendus est mercedem ab eo capere, sed hoc ex genere operarum, ex persona patroni, atque liberti colligi debet. — § 1. Nam si quis pantomimum vel archimum libertum habeat, et ejus medicis patrimonii sit, ut non aliter operis ejus uti possit, quam locaverit eas: exigere magis operas, quam mercedem capere existimandus est. — § 2. Item plerumque medici servos ejusdem artis libertos perducunt, quorum operis perpetuo uti non aliter possunt, quam ut eas locent. Ea et in caeteris artificibus dici possunt. — § 3. Sed qui operis liberti sui uti potest, et locando pretium earum consequi mallet, is existimandus est mercedem ex operis liberti sui capere. — § 4. Nonnunquam autem, ipsis libertis postulantis, patroni operas locant: quo facto, pretium magis operarum, quam mercedem capere existimandi sunt.

26. ALFENUS VARUS, lib. 7 Digestorum.

Medicus libertus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum: postulabat, ut sequerentur se,

— 29. Immo vide L. 18, supr. eod. — 30. L. 24, in fin. infr. eod. — 31. L. 5, supr.; l. 29, infr. eod. — 32. L. 70, in pr. infr. de verb. sign. — 33. L. 31, infr. h. t. — 34. L. 50, in fin. infr. eod. — 35. L. 38, § 1, infr. eod. — 36. L. 15, in pr. supr. eod. — 37. L. 13, § 2, supr.; l. 6, in pr. C. eod. — 38. L. 2, § 6, supr. de eo, quod certo loco. — 39. Adde L. 141, § 4, infr. de verb. oblig. — 40. L. 22, in pr. supr. h. t.; l. 75, in fin. pr. infr. de verb. oblig.